



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

XXIII. De processu ad salutandam Virginem gloriosam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

meum, & caro mea fieri dignatus es. Gratias & sanctæ Mariæ Matrituæ, de cujus virginali carne, sacrosancta corporis tui membra assumpsisti; ac mediante anima rationali, perfecte divinitati adunasti, ut ipsa non tantum hominis, sed & Dei Mater digne ac fideliter appelletur.

CAP. XXIII. De processu ad salutandum Virginem gloriosam.

A Stitit regina à dextris tuis,
in vestitu deaurato. *

Quamvis nullius sim meriti, sed multorum delictorū conscius mihi, est tamen pergrandis fiducia, passio tua, Domine Jesu, & meritum gloriosæ Virginis sanctæ Mariæ matris tuæ. De qua parumper cogitare nunc libet; & quæso, liceat.

Quis enim ego sum, ut audeam propius accedere, nisi licentia prius postulata? Scio indignitatē meam, in ejus singulari reverētia non debere apparere, quam nimirum Angeli venerantur cum stupore, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto mundi, deliciis affluens paradisi?*

Ad bea-

tam Vir-

ginem E-

xercitiū

pulcher-

rimum,

usum sa-

lutatio-

nis An-

gelica e-

legantem

ostendes.

*Psalm. 44

Cant. 8.

Agnosce
te indig-
num ad
laudandā
Virginem
Deiparā.

Idcirco, ô prædulcissima Ma-
ria, nequaquam mihi convenit,
tuam gloriam & honorem, tuam
pulchritudinem & magnificen-
tiam considerare; quoniam terra
sum & cinis; imo terra vilior &
cinere; quia peccator sum, & ad
omne malum proclivus.

Tu autem cælo celsior facta,
mundum sub pedibus habes, &
propter honorem Filii tui, omni
honore digna existis & reveren-
tia.

Attamen ineffabilis pietas tua,
quæ omnem cogitatum excedit,
affectum meum ad te sæpè trahit
& allicit; quia tu es utique sola-
men desolatorum, & tu miseris
peccatoribus libens subvenire
consuevisti.

2. Ego quidem omnibus bo-
nis consolationibus & conforta-
tionibus, & maxime gratia Filii
tui me egere sentio; nam meip-
sum nullatenus juvare sufficio.

Tu autem piissima Mater, si
meam parvitatem dignaris at-
tendere, multis me potes suble-
vare auxiliis, atque uberius
consolationibus inter pressuras
refovere.

Cum

Cum ergo aliqua pressura vel tentatione fuero circumventus, cito mihi & sine trepidatione ad te est recurrendum; quia ibi prior misericordia, ubi amplior redundat gratia.

Quod si forte aliquando libet speculationi excelsæ gloriæ tuæ intendere, atque honorifice ex intimo salutare, longe puriori me oportet corde procedere; nec sine superni luminis ductu mihi expedit proficisci.

Vere non est illi gloria, sed digna reddenda confusio, quisquis irreverenter ad tuum præsumpserit ostium accedere.

Vide quæ reverentia ad illam accedendum.

Oportet autem accedentem, summa cum reverentia & humilitate procedere; bona tamen spe sibi juncta, quatenus tua miserante clementia, dignus sit admitti.

3. Humiliter ergo ac reverenter, devotè & confidenter ad te procedo, Gabrielis portans in ore salutationem tibi suppliciter offerendam; quam & inclinato capite ob tui reverentiam, & expansis manibus ob eminentem

M m de

340 SOLILOQUIUM
devotionis affectum, læte præ-
sento, atque eandem centies
millesies, & multo amplius ab om-
nibus cœlestibus spiritibus, pro
me dici peto & exoro. Nam quid
dignius & dulcius pro præsentis
offeram, prorsus ignoro.

Angelice
salutatio-
nis, id
est, Ave
Maria, vis
& ener-
gia.

4. Auscultet nunc sancti nomi-
nis tui pius amator. Cœlum gau-
det, stupet omnis terra, cum di-
co: *Ave Maria.*

Satan fugit, infernus contremi-
scit, cum dico: *Ave Maria.*

Mundus vilescit, caro ama-
rescit, cum dico: *Ave Maria.*

Abscedit tristitia, venit nova
lætitia, cum dico: *Ave Maria.*

Torpor evanescit, cor ex a-
more liquefcit, cum dico: *Ave
Maria.*

Crescit devotio, oritur com-
punctio; spes proficit, augetur
consolatio, cum dico: *Ave Ma-
ria.*

Recreatur animus, & in bono
confortatur æger affectus, cum
dico: *Ave Maria.*

Siquidem tanta est suavitas
hujus benedictæ salutationis, ut
humanis non possit explicari ver-
bis;

bis;

bis ; sed semper manet altior & profundior, quàm omnis creatura indagare sufficiat.

Propterea iterum flecto humiliter genua mea ad te sanctissima virgo Maria, & dico : *Ave Maria, gratia plena.*

Suscipe clementissima Domina mea, sancta Maria, hanc devotissimam salutationem, & me in ea suscipe ; ut aliquid habeam, quod tibi grate placeat, quod mihi fiduciam ad te præstet, quod majorem semper amorem accendat, ac in jugi devotione tui venerandi nominis conservet.

s. Utinam ad satisfaciendum desiderio honorandi & salutandi te ex totis præcordiis meis, omnia membra mea modo verterentur in linguas, & linguæ in igneas voces ; ut modum invenirem glorificandi te Dei genitrix in æternum.

Utinam adhuc pro omnibus peccatis meis, quibus iram merui, & gravissime Filium tuum contristavi, te quoque & omnem exercitum cœli sæpissime inhonoravi & offendi, hanc

Mm a sua-

En quo affectu utendum hac salutatione:

Hæc imprimis notanda his qui rosarium recitant, ne quoties fre-

quentata
salutatio
fit arida,
& sensu
pietatis
vacua.

542 SOLILOQUIUM

suavissimam Gabrielis salutatio-
nem reddere valeam, tanquam
sanctam & puram orationis ho-
stiam, omnium commissorum
meorum expiaticem.

Utinam quoque, cum nimis
fragilis & labilis sit vita mea, pro
universis excessibus & negligentiis
meis, pro omnibus etiam cogitationibus
vanis, immundis & perversis, omnes beati
spiritus & animæ justorum, purissima devo-
tione & ardentissima deprecatione, dicant
tibi, ô beatissima virgo Maria; ac centup-
liciter in honore tuo altissimam hanc
salutationem replicent; qua Pater, & Filius,
& Spiritus sanctus, te primum per
Angelum suum statuit salutare; quatenus
aliquo modo reperiam incensum dignum,
in odorem suavitatis, qui nihil bonitatis
& dignæ recompensationis in me reperio.

6. Sed & nunc in præsentia
tua prostratus, & sincera devotione
invitatus, atque totus in
veneratione almissui nominis tui
accensus, repræsentō tibi lætiti-
am salutationis istius, quando
Ga-

Gabriel Archangelus à Deo missus, secretum thalami tui est ingressus; & flexis reverenter genibus, nova & inaudita à seculo salutatione, tuam virginalem faciem honoravit, & dixit: *Ave Luca 1. gratia plena, Dominus tecum, &c.*

Quam ego fidelium more, & aureo si possem ore, ex integro cupio persolvere; atque ut mecum omnes creaturæ pariter loquantur, ex intimis visceribus concupisco: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, Amen.*

7. Hæc est salutatio Angelica, Spiritus sancti institutione formata, tuæ maximæ dignitati & sanctitati congrua.

Hæc est oratio parva verbis, alta mysteriis; brevis sermone, lata virtute; super mel dulcis, & super aurum pretiosa; ore cordis jugiter ruminanda, labiisque puris frequentissime legenda ac repetenda.

Nam verbis paucissimis con-

Insignis
commen-
datio sa-
lutatio-
nis An-
gelicæ.

textitur, & in latissimum torrentem coelestis suavitatis diffunditur.

Sed vae fastidiosis, vae indevotis & vagis oratoribus, aurea verba non ponderantibus, nec mellea pocula gustantibus! qui toties dicunt, *Ave Maria*, sine attentione & reverentia.

8. O dulcissima virgo Maria, custodi me à tam gravi negligentia & desidia, & tribue veniam de transacta jam culpa. Ero amodo devotior, ferventior & attentior in dicendo, *Ave Maria*, sive in choro, sive in cella, sive in horto, sive in agro, aut quocumque locorum fuero.

En quid
petendum
à
virgine
Deipara.

Et nunc post hæc quid petam à te, Domina mea charissima? Quid melius, quidve utilius, & quid tam necessarium mihi indigno peccatori, nisi ut inveniam gratiam coram te, & dilectissimo Filio tuo?

Peto ergo gratiam Dei, te interveniente & impendente, quæ (teste Angelo) apud Deum plenitudinem gratiæ invenisti.

Nulla charior petitio est, nec
ulla

ulla re plus indigeo, quàm gratia
& misericordia Dei.

Sufficit mihi gratia Dei, cæ-
teris non obtentis. Quid enim est
omnis conatus meus sine illa?
Quid item impossibile, ea assi-
stente & juvante?

Habeo multas & diversas ani-
mi ægritudines, sed divina gratia
efficacissima medicina est contra
omnes passiones: & si dignanter
advenerit, mitigabit universas.

Habeo quoque inopiam spi-
ritualis sapientiæ & scientiæ, sed
divina gratia summa magistra
est, & doctrix cœlestis discipli-
næ, quæ derepente in cunctis ne-
cessariis me sufficit instruere.

Nam ultra necessarium ali-
quid petere, aut præter licitum
aliquid velle scire, hæc ipsa gra-
tia dissuadet, sed humiliari sub-
se, & contentari se, ipsa monet
& docet.

Hanc igitur mihi impetra gra-
tiam, clemens Virgo *Maria*, quæ
tam nobilis est & pretiosa, ut
merito aliud nihil desiderare de-
beam aut petere, quàm gratiam
pro gratia.

Nempe
una Dei
gratia
quæ ho-
mini suf-
ficit ad
omnia.